

evaferant, quum hoste ex superiore loco audito, statim ad arma conclamatur. Fit itaque ab oppidanis nocturnus in arcem concursus: quorum interventu adjuti, qui e summa turri arcem tuebantur, hostem e incenibus cum cæde & ruina deturbant. Cataphracti equites circiter viginti ea trepidatione cecidere, duodetriginta capti: proditores sceleris convicti, ut aliis documento essent, laqueo necati. Per eos dies Torcellanus Antistes, ab Aimone Allobrogum Duce missus, Venetias venit, petiitque a Patribus illius nomine, ut legatos ad se mitterent: cupere vehementer tam Venetorum quam hostium oratores audire, ac mature utrorunque causam cognoscere: daturum se operam, ubi eam cognovisset, ut hinc inde compositis rebus, pax fieret: misisse se Genuam dicere, & ad Lodicum Regem & socios missurum: nec desperare, quin & ipsi sint oblatam pacem amplexuri. Tres igitur legati hoc nomine ad barbarum missi, Michael Maurocenus, Joannes Gradonicus, & Zacharias Contarenus, quibus Antistes ipse (erat enim natione Allobrox) comes est datum. Post legatorum digressum Pantaleonis literis Patres certiores sunt facti de Taurisi deditione. Venerunt & a Liopoldo duo Germani equites, qui Ducis nomine urbem a Venetis magistratibus acciperent. Ii, quemadmodum jussi erant, milites qui ad præsidium jam antea fuerant, in unum duntaxat mensem, donec Liopoldus cum majoribus copiis adesset, stipendio inauctorarunt. Per eos dies allatum est, Venetis captivis, qui Genuæ erant, ita maligne victimum ab hoste suppeditari, ut paucissimis diebus ad trecentos quinquaginta inedia expirasse constaret, quorum corpora in mare sævus hostis projecisset. Fuerunt ea tempestate, qui crederent, venenum eis datum, quo cibariis mixto uno tempore quamplurimi extincti essent. Ad eam famam ita omnium animi ira exarsere, ut continuo in Terram novam, ubi publicus erat carcer, sit concursum: ac refractis portis, parum abfuit, quin Genuenses violati sint. Verum quia id turpe, ac pene impium visum est, ad injuriæ ultionem alia via ingressi, omnia illis priora

com-

*Captivi Ligures fere violati ob Venetos, qui Genuæ nascitū dicebantur.*